





THESES INAUGVRALES  
EX  
PYRETOLOGIA

DEPROMPTAS

A. D. G.

CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

*PRAESIDE*

D. IO. MELCH. VERDRIES

CONSILIAR. ET ARCHIATRO HASSIACO NEC NON  
PROFESS. MEDICIN. ET PHILOS.  
NATVR. ORDIN.

*PRO LICENTIA*

IMPETRANDI SVMMOS IN MEDICINA  
HONORES

PVBELICO ET SOLENNI

MAGNIF. ET EXCELL. PROCERVM EXAMINI  
SVBMITTIT

GEORGIVS LVDOVICVS SCHAMBACH,  
BVTISBACENSIS

AD DIEM APRIL. clb lccc xxxiv.

*GIESSAE,*

Typis EBERH. HENR. LAMMERS , Acad. Typogr.

THESE IN ANATOMIA  
PYRETOLOGIA  
GRATIOSI MEDICINAE ORDINIS  
D. JOHANNIS VON...  
IMPERATORIS SYMMONIS IN MEDICINA  
GEORGII PAVLOVICI SOKRANOVICH  
GALATI



I.

**F**ebri a ferueo, ferbeo, Latinis dicitur, sicuti Graecis *πυρετός, ἀπὸ τῆς πυρός*, ab igne & calore, quod a Galeni, quin & Hippocratis, vsque temporibus, omni ae. 10 fuerit creditum, essentiam & naturam febris in excessu caloris constitui, vbi calor natiuus motui placido & dispositioni ad consistentiae humorum vitalium congruae debitus, gradu superaddito & adscito praeternaturali, actionibus secundum naturam non velificatur, sed peregrinus redditur, defaedit, vt hinc vniuersum corpus male habeat.

II.

Aptior equidem & ad naturam febris, prout a plurimis recentioribus exponitur, magis accommodata videtur deriuatio a veteri verbo februo, purgo, cum febris, ex horum sententia, optimum sanguinis perpurgandi remedium sit, non tam morbus, quam bellum contra morbos, contra naturae materiae morbificae exterminationem, in aegri salutem, omni ope molientis, aut naturae instrumentum ac machina quasi, qua partes impuras a puris secernat, secundum cel. *Sydenham*. Sed veteres Latinos,

*quos tradit fama, dicatis*

*Consecrassent deas febrem scabiemque sacellis,*  
quique inter morbos & pestes, quas, vt *Plinius* habet, *L. II. c. VII.* placatas trepido metu cupiebant, febrem praecipue aris & templis dicatis venerati sunt, non tam spe boni, tanquam bonam Deam, sed formidine mali, ne noceret; & quibus proin febrium illa salubritas & effectus depuratorijs non cognitus aut perspectus fuisse videtur, in nominis huius impositione eo respexisse non est credibile.

III.

Febris est, re vera, morbus: molestiam enim adfert corpori, & laedit actiones primo & immediate, ex se & sua natura, vires prostermit, consumit, periculosa symptomata secum trahit. Est etiam prope omnium grauiorum morborum comes, plurimorumque radix & causa vniuersalis.

IV.

Qui febris essentiam in calore praeter naturae modum aucto constitui tradunt, effectum magis, quam rationem formalem febris nobis sistunt: calor enim sequitur febrem iam natam.

V.

Morbus est id, quod laedit actiones primo & immediate: a calore vero in febribus actiones primo & immediate laedi non ita facile concesserint plurimi, qui febris naturam accuratius perspectam habent: vt non dicam, reperiri, qui calorem p. n. ad minimum sensibilem, febrim non omni, non soli, non semper competere, atque algidas dari febres, non calore, sed horrore tantum molestas, vbi scilicet lentor sanguinis eundem ad calorem promte concipiendum inidoneum reddit, contendunt.

VI.

Omnis febris, quantum hactenus ex obseruationibus constat, initium capit ab horripilatione, pandiculatione, concussione, cum rigore & sensu quodam frigoris, maiori, minori, breui, diuturniore, pro ratione subjecti & causarum: & nunquam febrem fieri sine rigore praecedente Hippocrates & Galenus ex suis obseruationibus iam tradiderunt.

VII.

In omni febre, eaque sola, omnibus illius temporibus, a principio ad finem, adest pulsus creber & velox: vt pulsus praeter

praeter naturam frequentior, cum laesione actionum & subsequente caloris naturalis mutatione, sit character essentialis, proprium & pathognomicum febris signum, quo praesente, febrim adesse, absente, abesse pronunciare possumus.

## VIII.

Pulsus frequentior similem supponit pulsum cordis expressionemque sanguinis in arterias. Causa ergo, quae rigorem in extremis, & pulsum frequentiore cordis producit, est etiam causa febris proxima. Haec vero nulla alia est, quam incitatio neruorum p. n., vnde constrictio, concussio totius corporis in extremis, & velocior cordis incitatio ac pulsus frequentior. Inde vero sanguis crebriore cordis compressione compulsus, aliorum musculorum succussu quassatus, auctaque adstrictione tonica & orta inde maiori resistentia in vasis minimis, certo modo repulsus, attritu solutioneque particularum feruorem aestumque concipit: quo sedatiore cordis motu, moderataque adstrictione partium tonica circumactus caret.

## IX.

Ratio igitur formalis febris consistit in incitatione generis neruosi, oscillationibus, succussibus neruorum & neruorum partium praeter naturam: vnde frequentior cordis contractio cum aucta resistentia in vasis minimis: atque hinc tria potiora febris symptomata, horripilatio vel rigor, pulsus celer, & calor.

## X.

Quemadmodum autem in febris intermittentibus incitationes illae generis neruosi spasmodicae, statis periodicis remittunt ac recurrunt; ita in continuis adstrictio spasmodica in vasis minimis, licet cum quadam saepe remissione,

continuat, neque prius definit, quam peracta coctione, vt Medici loquuntur, materia morbi pressioibus ac succussibus neruorum, feruoreque sanguinis attrita, soluta, subacta, liberius per vasa minora transprimatur, & laxata constrictione in extremis, excretionis criticae, quae morbum solutum denunciant, per apertiora iam emunctoria peragantur.

XI.

Experientia docet, omne id, quod genus neruosum, vniuersi corporis membranas & cutim ad spasmodicas contractiones incitare valet, & febribus producendis aptum esse; sicut manifestum est, febres accendi vel ab iis rebus, quae neruos ad extraordinarias contractiones sollicitare solent, vt sunt dolores, inflammationes, laesiones, & extimulationes partium neruosarum; vel ab acris & corrosiuis plus minus venenosis: vel ab iis, quae crasin & motum sanguinis perturbant, transpirationem liberiozem prohibent, corpus grauant, premunt, eidemque molestam sensum inducunt: vel ab iis, quae aequilibrium partium fluidarum & solidarum tollunt, vt sunt fames & euacuationes nimiae: vel ab iis, quae corpus & imprimis etiam animam iusto vehementius exagitant.

XII.

Terrore percussi, qui subito expalescunt, horrore concutiuntur, in quibus sanguis habitum corporis exteriorem relinquit, & ad interiora compellitur, cum cordis oppressionem, palpitationem & anxietatem, pulsu velociori incitato, subsequente mox incalescentia cum sudore, verum paroxysmum febrilem experiuntur. Vnde ratio non longe petenda, cur in his per labia saepe & in superiori ad nares interstitio pustulae non multo post, motu quasi critico erumpant: quod imprimis acidere solet, quando spectrorum

&



& lemurum terriculamentis, imbecillium animi etiam in  
insomniis percelluntur.

XIII.

Quemadmodum vero in terrore, incitatis his neruo-  
rum partiumque solidarum motibus, causa morborum  
materiali attrita, subacta, discussa, salutares nonnun-  
quam effectus sequuntur, atque morbi non uni, ipsaeque  
aliquando febres depelluntur: nonnunquam tamen eiusmodi  
turbæ in natura excitantur, vnde gravissimi, quin &  
lethales morbi originem ducunt, teste experientia Medico-  
rum: ita & febriles motus haud raro, si iusto modo & mo-  
derate decurrant, ad bonum finem deducuntur, vt sub-  
acta ac dispulsa materia morbifica corpus a plurimis im-  
puritatibus, alios morbos facile prouocantibus, liberetur.  
„ Quae enim continuandis seruandisque succorum circu-  
lationibus sub sanitate addicuntur tonica molimina, ceu-  
systalticae oscillationes tacitae, molles & ordinatae, iis-  
dem sub morbo restituendis revocandisue paratae fiunt,  
factae vividiores, fortiores & stimolatae. Eiusmodi il-  
lae erant, quae sanguinem terendo, tractando, commi-  
nuendoue, a lentore, densitate, spissitudine praeseruarent:  
illius conditionis hae fiunt, qua lentescendo, spissescen-  
do, stagnantique sanguini disrarando, explicando & eli-  
quando pares euadant: „ sunt verba Clar. *Hecqueti*, Galli,  
*Nou. Medicin. conspect. Part. II. pag. 80. cap. IV.* Haud  
raro tamen naturam ita perturbant, vt non tantum ad alios  
morbos grauiores disponatur, sed & in grauissimos praecipi-  
teretur. Rectissime excellent. *Elias Camerarius*: nec negan-  
dum, inquit, esse frequenter febrim criticum naturae,  
motum noxia expellentis, eorumque mole corpus sub-  
rantis, sed nec id negandum frequentius in corpore sub,  
decurfu

„ decursu febris, praefertim diuturnioris, eam gigni succo-  
 „ rum prauitatem, ea cacochymiae stamina, quibus tollen-  
 „ dis fortiori saepe opus sit cuneo; ita vt facilius sit sub  
 „ febrium tumultu gigni obstructions, quam tolli, oriri  
 „ visciditatem particularum, quam corrigi, cumulari cru-  
 „ ditates, quam absumi, vt non nisi caute circa ista febrim  
 „ um commoda deceat ratiocinari. *System. Cautel. p. 212.*

XIV.

Cum febres spasmodicis partium solidarum motibus  
 absoluantur, haud difficulter perspicitur, cur pro ratione  
 subiectorum, causarum, accidentium, saepe tum morbi  
 conuulsui grauiore, tum congestiones sanguinis hinc  
 inde, inflammationes, viscerum in tono & tensione de-  
 prauationes, & hinc actionum laesiones, aliaque grauiora  
 mala ex illis proueniant; & vnde anomaliae & nequitia  
 febrium?

XV.

Causae febriles, in conspiratione mentis & corporis,  
 animam ad concursum pertrahunt; ita vt in febrium in-  
 sultibus anima in partem causarum praecipuarum veniat:  
 sed hoc est necessitatis potius quam arbitrii. Neque enim  
 ab arbitrio animae pendet febrem concitare & accendere;  
 sed illa ab aliis causis invita ad concursum perducitur.

XVI.

Scilicet anima molestis stimulis ac tensionibus agitata,  
 territa, ex ordinatione prouidentissimi, benignissimi Crea-  
 toris, qui mechanismum corporis organicum, quoad habi-  
 tum & vires, accommodauit, conspirationem vtriusque  
 hominis substantiae instituit, ac legibus suis adstrinxit,  
 praeter intentionem directam, oscillatorios neruorum mo-  
 tus exigit ac prouocat; vt proinde velocioribus ac fortio-  
 ribus

ribus sanguinis & humorum per vasa minima transpressio-  
nibus auctisque diuersis secretionibus, & causa februm  
materiales, aliaeque cruditates morborumque femina su-  
bigantur & exterminentur. Hinc februm, si iusto ordine  
procedunt, salubritas. Hinc, secundum *Celsum*, febres af-  
fligunt corpora & parte aliqua tuentur.

XVII.

Turbata sanguinis mixtio in febribus plerumque praecedit, atque causa est turbationis febrilis in motu cordis & circulatione sanguinis. Febriles tamen motus, ab animi affectibus & causis externis, aëris iniuriis, frigore acriore, aut etiam motu nimio & intempestivo excitati, turbationem mixtionis in sanguine, imprimis si ad turbationem a causis *προνυμμένας* iam pronus sit, tanquam causae procatarticae, producant & augent.

XVIII.

Verissime Illustr. *Bergerus*: Quod si, inquit, in sano, beneque valente, a vi quadam extrinsecus accedente, febris exoritur acuta, quid apertius esse potest, quam, vitales in eo succos, viuumque sanguinem, motu & ex- candescencia febrili, deprauari & corrumpi, ac vitiosos, colligi excerniue, iisque adeo febrim non excitari, at, foueri tamen deinceps, & subinde grauiorem, nec raro, exitiosam reddi. Nec multo aliter res habet in febribus, a causis etiam interioribus, non tam mole, quam stimulo nocentibus, excitatis; *de laude febris merito suspecta, §. XX.* Idque eo magis timendum, quin & malignitas pertimescenda, si dispositio & crasis sanguinis ad dissolutionem propior, aut causa & insultus febrilis vehementior sit.



XIX.

Quando compages & concordia sanguinis partium firmior est, quam ut ab insultu febrili ab extra concitato solvi ac moueri possit, aut causa materialis minus copiosa, febres non diu durant, sed vno saltem insultu saepe absoluuntur: hinc febres ephemeræ.

XX.

Ad turbatam mixtionem hic sufficit, si resoluta quodammodo compage, motaque concordia, amicae coniunctionis vinculum ac proportionata miscela partium heterogenearum sanguinem constituentium, soluitur, earumque ordo naturalis, qualis in fluidum cadit, ac sius inter se inuicem immutatur, facto secessu a se inuicem praeter naturæ modum.

XXI.

Non omnes impuritates, quæ per vesicam, aluum, cutis excernicula aliaque loca in febribus secedunt & exterminantur, pro causis illarum antecedentibus & continentibus haberi debent; cum potius sint effecta febris, & orta demum febre generentur.

XXII.

Inter causas *nonnyuipivas* febrium omnia ea numerari merentur, quæ generi neruoso debilitatem ac proniorem ad contractiones vibrationesque spasmodicas constitutionem inducunt. Quo pertinet inprimis plenitudo & oppletio nimia a transpiratione insensibili imminuta, ab otio, status plethoricus increfcens, crapula, & inde natae cruditates.

XXIII.

Ex procatartictis eminent, quæ in corpore aequæ ac anima vehementiores agitationes producunt, itemque aëris subitaneæ mutationes, aliaque aëris vitia & contagia;

gia; vnde & animi inprimis affectus, ira, moeror, terror, metus a morbo intemperatus, pronissimam ad febres viam sternunt.

XXIV.

Hinc etiam ad reuocandas febres & recidivas excitandas nihil magis valet, quam frigus immodicum, aër pluuiosus, frigidus - humidus, itemque terror vehemens, ira & excandescencia: quandoquidem haec fibras neruofas, ad spasmodicas contractiones adhuc propendentes & nondum fatis firmatas, facillime ad spasmos sollicitant.

XXV.

Vt vita nostra animalis, ita & sanitas ab aëre, tanquam communi omnium pabulo, pendet; adeo vt quoties insignis mutatio aëris fit, in ipsa quoque oeconomia animali mutatio oriatur. Et vt ex tempestatum anni anomalia, cum sua cuique temperies non est, varii morbi inducuntur, qui plures homines simul inuadunt, quod & *Hippocrates* non vno loco notauit, ita generatur interdum peculiare quid in aëre, vel aliunde in illum defertur, quod communicatum nostris corporibus certos morbos producit. Hoc saepe cum quauis anni tempestate consistit & debita copia genitum effectus suos apud plures edit, & morbos, quos idcirco epidemicos vocant, inducit. Multa scilicet, vt ait *Seneca*, mortifera in alto latent, & aër ipse grauis aliquando haurientibus est.

XXVI.

Inde tussis epidemicae febrisque catarrhalis per plures Germaniae regiones haud ita diu, aliquoties longe lateque grassantis, quam ideo vocarunt *die Mode*, *Kranckheit* / deriuanda ratio; itemque tussis popularis Ao. 1680. longe lateque integras familias inuadentis, de qua *Forestus*

*L. IV. Obs. III.* Hinc & febres intermittentes aëris vitio saepe sunt epidemicae, quales, imprimis quartanae pertinacissimae, ab aliquot annis, apud nos tempore auctumnali admodum frequentes fuere. Meminit *Sennertus, de Febribus L. II. C. XX.* quartanae, quae Ao. 1616., oborta insigni aëris, sub auctumnum, mutatione, toti Germaniae fuerit epidemica & Wittebergae tam familiaris, vt etiam modo natos corripuerit, & vix domus aliqua fuerit, in qua non quartanarius vnus vel etiam plures decumberent. Similes obseruationes de anno 1652. 1666. 1684. vbi quartanae auctumnales Hassniae, post siccam & calidam aestatem, Guelferbyti, itemque in Westphalia, epidemice grassatae sunt, consignarunt *Thomas Bartholinus, Henricus Meibomius & Fridericus Hoffmannus.*

XXVII.

Istae febres intermittentes exinde etiam sunt saepe contagiosae, ex obseruatione Medicorum experientissimorum; vt vere scripserit magnae experientiae & doctrinae vir, cl. *P. Neukrantz, de purpur. C V.* „Nec enim tertianae, „quartanae, continuae febres contagio ad alios transplan- „tantur, quod seminaria ita elaborata illis desint, nisi for- „te epidemicae sint, tunc enim propriam contagii essen- „tiam iam coniunctam gerunt. Et *Sennertus, loco modo „citato,* quae quartanae, inquit, etsi a communi aëris con- „stitutione ortum haberent, accedebat tamen contagium, „quo seminaria febris in alia corpora transferebantur.

XXVIII.

Diligenti etiam obseruatione virorum vsu medendi eminentium exploratum habemus, in principio, quando hae febres primo inuadunt, esse easdem potissimum contagiosas, quando autem aliquamdiu durarunt, vt solent  
quar-

Quartanae satis esse diuturnae, tum nullus amplius ab iis contagii metus. Scilicet habent se intermittentes epidemicae aliter in principio, aliter in fine, & in principio saepe magnitudine & vehementia & celeritate symptomatum malignitatis suspicionem Medico pariunt, & tum imprimis sunt contagiosae.

XXIX.

Memorantur etiam a Medicis, imprimis a *Sennerto*, *Petr. Salio Diverso*, *Moraeo* & aliis, febres intermittentes malignae: neque inuita ratione & experientia. Illas tamen inter ratiore referendas alii contendunt. Cumque fere non nisi de tertiana, praesertim duplici, annotatum hoc inueniamus, suspicio oritur, frequentiores accessiones decessionesque ac recurrentes subinde imponere non satis cautis, vt continuam pro intermittente habeant: quod & de semitertiana, hemitritaeo, iam *Celsus L. III. C. VIII.* monuit. Accidit etiam, vt febres scorbuticae, in quibus, in declinatione, maculae emergunt, quibusdam malignae visae sint.

XXX.

Ego magis explorandus est febris genius, antequam ad curationem progrediamur: neque enim vno eodemque modo vbique procedendum, atque cura semper ad causarum, temporum, naturae motuum, constitutionis aegrorum, temperamentique ipsius rationem accommodanda.

XXXI.

Febres intermittentes, si iusto ordine procedant, & natura sit vegeta, facilius & promptius soluantur, si suo arbitrio permittuntur, aut prudenti directione Medici paucis aut simplicissimis tentantur, quam si farragine & cumulo remediorum intempestiue interpellantur. Id enim patet, in febrium curatione, naturam, vbi recte mouet, sibi

B;

que

que sola sufficit, nulla importuna medicina temere irritandam vel impediendam esse; quod ipse Illustr. *Bergerus*, qui alias naturae hic negotium non nimis confidenter & secure relinquendum contendit, aperte fatetur. *de China Chinae ab iniqu. iudiciis vindicata §. XVII.*

## XXXII.

Hinc non sine ratione, nec inuita experientia, scribit doctiss. & experientissimus *Meibomius*; feliciores iudico illos, febricitantes, qui Medico nullo vtuntur, quam qui in manus imperiti incidunt, Empirici, Specificistae qui nec consideratione aegri instituta, nec motu naturae extraneum fermentum vel hac vel illa via excludere nitentis confiderato, tantum certis quibusdam medicamentis contra, paroxysmum pugnat: *de Febris interm. epidem.*

## XXXIII.

Venae sectio in febris intermittentibus non temere instituenda est. Intermitentes imprimis auctumnales non sine ingenti discrimine per phlebotomiam tentari longa obseruatione se didicisse memorat *Sydenham*. In febris tamen intermittentibus epidemicis, si magna fiat ebullitio sanguinis & intemperies oboriatur insignis calida, si nihil obster & corpora sint iuvenilla, plethorica, constitutionis calidioris, instituta mox in principio V. S. grauiora symptomata brevi cessare & febres mitiores fieri experientia prudentum compertum habemus. Distingunt etiam inter febres intermittentes epidemicas vernas & auctumnales, tertianas & quartanas, atque in vernalibus & tertianis magis quam reliquis V. S. locum habere contendunt. Nec in quartanis, in progressu vel declinatione, eandem adeo reformidandam esse, non sine ratione monuerunt viri vsu medendi celeberrimi.

## XXXIV.



XXXIV.

Purgantia & vomitoria, vtut febres saepe iugulent, ita vt Cerberus triceps, aut vnicum conueniens vomitorium tempestiue propinatum febrem depellat, non tamen sine discrimine, nec sine prudenti examine, quae circumstant, conditionum, adhibenda: cum symptomata saepe reddant grauiora, durationem longiorem, & febrem simplicem in duplicem conuertant. Distinguendum tamen inter purgantia & blandiora laxantia, abstergentia; illa nocere possunt, haec non item.

XXXV.

Qui purgantibus & V. S. a contagio febrium se communi re intendunt, eo ipso saepe, sanguinem commouendo eiusque crasin & mixtionem recludendo ac aliquo modo dissoluendo, viam parant & opportunitatem se insinuandi praebent contagio, atque se ipsos temere in morbum praecipitant.

XXXVI.

Cum febris spasmodicis contractionibus partium solidarum absoluat, prona consequentia deducitur, medicamenta, quae, ceteris partibus, spasmos leniunt, eorumque causas compescunt, fibras debilitatas roborant, firmant, corpus perspirabile reddunt, crasin & mixtionem sanguinalis tuentur, aequilibrium partium solidarum & fluidarum restitunt, in febribus curandis omnem absoluere paginam, suffragante experientia.

XXXVII.

Felicius hinc & maiori effectus certitudine praecedunt, qui sudoriferis fixis salibusque neutris & alcalinis, resoluentibus, diluentibus, incidentibus blandisque stimulantibus febres aggrediuntur, quam qui volatilioribus calidis sanguinem expandunt & accendunt.

XXXVIII.

Prout febres continuas & malignitatis suspicionem praebentes, leuis sudoriferi & alexipharmaci vsu in benignas & intermittentes mutatas fuisse, obseruationes tum veterum, tum recentiorum testantur; ita volatilioribus, sanguinem nimis commouentibus, intermittentes in continuas, benignas in malignas ac perichiales mutatas fuisse,

isse, non minus experientia, acut & quotidiana exempla do-  
 quomodo plebecula saepe, piperis, cum spiritu vini, vsus, nul-  
 la habita ratione constitutionis aegroti, ex regentibus intermittenti-  
 bus febribus, grauiores, duplices, continuas, ipsamque haud raro  
 in ortem sibi adsciscat

XXXIX.

Cortex Peruvianus, incomparabile, & si cetera fuerint paria,  
 certius praec aliis omnibus haectenus cognitis, in febribus in-  
 termittentibus domandis remedium, insigniter prodest, & atrociter  
 nocet. Nocumenta tamen non sam ipsi remedio, quam minus re-  
 cte vrenti adscribenda. Scilicet & hic ratio & rectus vsus adhiben-  
 dus, in quo summa artis perita est. Non empirice, sed prudentis  
 Medici manibus tractari, ac suo tempore, & vt oportet, exhiberi  
 vult iste cortex: & quoad eius vsum praecipue obseruari debet illud  
 vulgatum: non temere nec timide.

XI.

Non omnis defectit ratio *Willisium*, quando de *Febribus C. VI.*  
 „ scripsit: qui febres intermittentes, alias facile curabiles, non vigen-  
 „ te necessitate, hoc pharmaco, nempe hoc cortice, tantum breui sup-  
 „ primunt, medicinam dolosam instituere videntur, non in rem suam  
 „ magis, quam qui vlceri cauo & mox erupturo cicatricem inducunt.

XII.

Febrisfuga, quae citra omnem sensibilem operationem paroxys-  
 mum intermittentium suspendunt, & febres sopiunt, sunt potissi-  
 mum adstringentia, exemplo aluminis, aliorumque manifeste ad-  
 stringentium. Nec negandum, quod in cortice Peruviano, vt & cha-  
 querilla, vis adstringendi coniuncta sit, & in illo satis manifeste emine-  
 at. Virtus tamen specifica horum corticum non in vi constringendi  
 non in terreo, non in amaro, aromatico, non in partium tenuitimu-  
 lo, sed in his omnibus simul sita est. Ex his enim a natura inter  
 se mixtis ac digestis noua virtus oritur, quae in singulis non inerat,

XIII.

Cum ista remedia tota hinc substantia, vt *Galenus* loqui amat,  
 agant, non mirum, si in substantia & forma pulueris alcoholisati  
 exhibita certiozem effectum praestent, quam ex illis  
 praeparata, essentiae, extracta,  
 infusa & similia.

DA A 6545

ULB Halle 3  
003 105 768




Sb.

VD 18

VD 17







THESES INAUGURALES  
EX  
**PYRETOLOGIA**

DEPROMTAS

A. D. G.

CONSENSU ET AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

**D. IO. MELCH. VERDRIES**  
CONSILIAR. ET ARCHIATRO HASSIACO NEC NON  
PROFESS. MEDICIN. ET PHILOS.  
NATVR. ORDIN.

*PRO LICENTIA*

IMPETRANDI SVMMOS IN MEDICINA  
HONORES

PVBELICO ET SOLENNI  
MAGNIF. ET EXCELL. PROCERVM EXAMINI  
SVBMITTIT

GEORGIVS LVDOVICVS SCHAMBACH,  
BVTISBACENSIS

AD DIEM APRIL. clb lccc xxxiv.

GIESSAE,

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.